

mentio possessionum eius, cap. 13. 5. & A  
filiarum eius, cap. 19. 8. Sed non tacuisset  
Moses hoc loco vxorem eius, aut filias,  
si habuisset. Ergo deinceps videtur vxore  
ducta filias genuisse, quæ in excidio  
Sodomorum potuerunt esse nubiles:  
quia ab hoc egressu ad excidium illud  
fuerunt anni circiter 25. Nec multo iu-  
niorem fuisse Abramo colligitur ex cap.  
19. 31. quia in excidio Sodomorum iam  
senex erat.

Ex acquisitis facultatibus & anima-  
bus in Haran colligitur aliquot annis B  
ibi commoratos fuisse: licet tempus  
definite non constet. Etsi enim com-  
munis sit opinio, vno eodemque anno  
75. Abrahæ hæc omnia contigisse: ta-  
men Pererius recte agnoscit, id contra  
historiam statui: Alioqui enim non di-  
ceret Moses, Therah cum familia sua  
habitauisse in Haran: & Abramum  
cum Lotho magnas ibi facultates, at-  
que animas multas acquisiuisse, quod  
perfecto duobus vel tribus annis, ne-  
dum vno anno fieri non potuit. Facile C  
autem suffragor iis, qui quinquennium  
vel amplius Therah cum familia Char-  
ris habitasse existimant.

Intelligitur etiam, eos haud ignauo  
otio torpuisse, sed sedulo opus facien-  
do laboreque honesto rem fecisse in  
Haran. Atque istæ fuerunt primitiæ be-  
nedictionis promissæ, quam sensit A-  
bram, quam proinde non abiecit, nec  
deseruit, cum eam deserere non iuberetur  
à Deo: paratus haud dubie ad dese-  
rendum, si iussus fuisset: Sed omnia se-  
cum traxit, ne cum familia egeret, vel D  
aliis in exilio grauis esset. Etsi enim fi-  
des tota pendet à Dei prouidentia: ta-  
men non negligit aut contemnit me-  
dia à Deo concessa, ne tentet Deum.  
Contra fanaticos igitur & hypocritas  
monachos docetur hoc exemplo Abra-  
mi, proprium tenere, non esse pietati  
contrarium.

QVARTA circumstantia est locus,

ad quem tendit. *Egressi sunt, vt pergerent* Terra Ca-  
*in terram Canaan, &c.* Terra Canaan vo-  
catur tota Cananæa regio à dorso maris *nanaea ter-*  
*mini.*  
occidui ad Euphratem vsque Orientem  
versus, Libano monte à Septentrione,  
& desertis Idumææ atque Arabiæ à me-  
ridie terminata. Quæritur, vnde sciuerit  
Abram, huc esse pergendum, cum non  
legatur ei DEVS reuelasse? *Respondeo:*  
Deum in primo oraculo nomen regio-  
nis tacuisse, vt magis fidem eius proba-  
ret, patet ex cap. 12. v. 1. Act. 7. 2. Heb. 11.  
18. Non dubitarim vero, Deum postea,  
cum esset in via, ei reuelasse, non modo  
generatim occasum Australem versus,  
sed & nominatim in Cananæam per-  
gendum esse. Alioqui Orientem aut a-  
liam plagam versus iter instituere pote-  
rat Abram; & sic in Cananæam non ve-  
nisset. Et quidem mature, patre adhuc  
superstite, eam reuelationem accepisse,  
colligitur ex cap. 11. v. 31. quia ibi dicitur,  
Therah patrem assumpto filio Abram, o-  
mnibusq; suis Dei iussu egressum fuisse  
cum eis de Vr Chaldæorum, vt pergeret  
in terram Canaan. Non ignarus igitur, ne-  
que contemtor fuit Therah vocationis  
diuinæ ad filium factæ; Et quidem in-  
tenderat recta in Cananæam pergere  
cum filio; Sed substitit aliquandiu in  
Haran cū suis; quia haud dubie siciuf-  
ferat Deus; Alioqui Abram ibi diu mā-  
surus non erat contra Dei præceptum,  
nisi de Dei voluntate edoctus fuisset.

QVINTA circumstantia est locus,  
quo in Cananæa primum appulit A-  
bram; *Et transiuit in terram illam vsque ad*  
*locum Sechem.* Fuit hæc ciuitas prope in  
meditullio Cananææ ad Garizim mon-  
tem, postea tribus Ephraim in regno  
Samariæ, celebris asylo publico; & ces-  
serat Leuitis Cehathitis Ios. 21. vers. 21.  
1. Par. 6. vers. 67. vide Comm. nostrum in  
Hos. 6. 9. Ibi stuprū passa est Dina Iacobi  
filia, quod filii eius ciuili cæde vindica-  
rūt, Gen. 34. Eandem esse, quæ Ioh. 4. 5.  
char vocatur, circumstantia p̄dii Ioseph